

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 1443

**Autre(s) référence(s) :** Fauroux 16 / Tabuteau 114

**Auteur(s) :** Robert, Mortain (comte)

**Bénéficiaire(s) :** Le Mont-Saint-Michel, Le Mont Saint-Michel (abbaye)

**Genre d'acte :** charte

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** ...1015...

**Action juridique :** donation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Richard II corrobore la charte par laquelle Robert, comte de Mortain, investit le monastère du Mont-Saint-Michel de son alleu de Tissey.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Histoire du château et des sires de Saint-Sauveur-le-Vicomte*, Valognes, Martin, 1867, pièces justificatives, p. 1, n° 1.
- b. Fauroux Marie, *Recueil des actes des ducs de Normandie de 911 à 1066*, Caen, Caron (MSAN ; 36), 1961, n° 16, p. 96-98.

## Dissertation critique

Cet acte, qui porte sept souscriptions communes avec l'acte suivant émis en 1015, doit être contemporain de celui-ci (SCRIPTA 1445) (FAUROUX, p. 96-97).

Texte établi d'après b

In nomine sanctæ et indivisibilis Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen. Institutionibus antecessorum nostrorum procul dubio sancitum ac decretum esse scimus ut, si quis sacro baptimate renatus quiddam suarum facultatum perhenniter possidendum, vitæ coelestis afflatus nectare, tradere loco sancti alicujus voluerit, firmissimum exinde fulcitumque plurimis convenientium actoritatibus personarum testamentum faciat, quatinus id inconvolsum permaneat ac denegari penitus non queat. Igitur ego Rotbertus comes notum esse tam a presentibus quam absentibus, omnibus christianitatis titulum ferentibus, volo quod, meorum inmensitatem criminum timens, et cœlestis vitæ gaudium habere cupiens, quoddam alodium, scilicet Tesiacum, loco beati Michaelis monachisque ibi regulariter Deo servientibus, pro animæ meæ salute, ac deinceps pro remedio animæ uxoris mee Bileeldis defunctæ et pro viventis Ascelinæ, filiorumque meorum Vilelmi et Rotberti atque Ricardi, quorum voluntate consensuque id ago, perpetualiter possidendum trado. Dinovi etenim, quam plurimis referentibus sanctæ christianitatis doctoribus, esse quoddam peccatorum purgamentum largitio elemosinarum et divino monitu illic thetauri recondendi ubi nec furis astutia inherit, nec tinearum esura incoabit; nam quod Deo in largiendo elemosinam tribuitur, centuplicatum in cœlis reconspensabitur. Legitur etenim regnum Dei tantum valere quantum cuique est posse, valuit siquidem viduæ quadrans, et Petro rete et navis, profuit et Zacheo dimidium bonorum. Nichil itaque est id quod finitur ad id quod fine non clauditur. His igitur et aliis salutiferis incitamentis ammonitus, predictum alodium loco prædicto

tribuo, sub totius æcclesiæ testimonio, cum terris cultis et incultis, cum pratis et omnibus apendiciis, eo tenore ut absque calumpnio seu contradictione successorum parentum meorum habitantes in præfato loco habeant, teneant, possideant. Et si quis, stimulatus jaculo diabolicæ calliditatis, huic dono calumpniam inferre præsumperit totius æcclesiæ excommunicationibus perhenmpter detineatur. Ut autem hæc datio verius credatur et firmius diligentiusque futuris teneatur temporibus, manibus Ricardi comitis atque Rotberti archiepiscopi et eorum matris Gonnoris, et uxoris meæ Ascelinæ, filiorum meorum Vilelmi, Rotberti Ricardi que ac militum meorum subter firmandum corroborandumque tradidi.

Rotbertus comes, Norjotus episcopus, Geraldus, Rodulfus, Erembertus, Hualterus, Petrus, Niellus, Droco, Hasgerus, Grifus, Vuarmundus, Hutbertus, Gostfridus, Hosmundus, Rainaldus, et alii.